

cio Regnorum horum Banatus ad Officium Judicatus Curiae Regiae, eximiarum ejusdem virtutum laudatissimorumque de Sua Majestate Sacratissima, Augustissimaeque ejusdem Domo Austriaca Sacroque Regni Hungariae Diademate, comparatorum Sibi Sago et Toga meritorum intuitu, sublimationem; quod Majestas Sua Sacratissima in tanto altissimarum Regiarum curarum suarum concursu, in Regni quoque istius conservationem benignissima propensione et plus quam materna cura et solitudine intenta, Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum Georgium Branyugh Episcopum Zagrabiensem, ob fidelia et utilia ejusdem in altissimi Suae Majestatis Sacratissimae servitii bonique publici promotionem, atque Sacrae Regni Hungariae Coronae, praesertim vero Patriae hujus utilitatem et conservationem, cum omni zelo et fervore exhibita studia et conatus, exindeque comparata sibi de Sua Majestate Sacratissima et republica Christiana eximia merita, pro Officii Banatus Locumtenente denominare, medioque ejusdem praesentem Generalem Congregationem nostram praefigi curare atque ad eam usque benignissimam alterius Regnorum horum Bani denominationem differe dignata fuerit, Suae Majestati Sacratissimae in summa subditali devotione Status et Ordines humillimas et immortales agunt gratias; et hinc ad instar reliqua principaliora, altissimum Majestatis Sacratissimae servitium Regium, nec non in sinceram Regnorum horum conservationem respicientia negotia, occurrebat etiam formanda supplex ad Suam Majestatem Sacratissimam pro benignissime preficiendo Regnis istis Capite, resolvendo quippe reali eorundem Bano, Instantia; sicuti etenim antecedentem desiderando desiderarunt, ita et de facto realem et actualement Banum, a potiori in Gremio Regni mansurum, regi et gubernari unice desiderant: Eapropter Majestati Sacratissimae Excellentissimos et Illustrissimos Dominos Comites, non minus natalium splendore, quam et eximiis de Sua Majestate Sacratissima totaque republica Christiana meritis conspicuos, Ludovicum utpote Battyan de Nemet Uivar, Georgium Erdödy de Monyorokerek, priorem quidem Cancellariae Suae Majestatis Sacratissimae Aulico-Hungaricae Cancellarium, posteriorem vero Camerae aeque Hungarico Aulicae Praesidem, utrumque Suae Majestatis Sacratissimae actualement Intimum Consiliarium Camerarium, sic et Illustrissimum et Reverendissimum Dominum Georgium Branyugh, Episcopum Zagrabiensem et actualement Locumtenentem Banalem, Excellentissimos praeterea et Illustrissimos Dominos Comites Dominum Carolum de Battyan et Franciscum Eszterhazy, utrumque Generalem Equitatus, ac ultra hos, jam prioris etiam vacantiae Banalis occasione humillime submissos, et ne fors Regio servitio ulterius et respective necessarios duos adhuc alios, utpote Excellentissimum et Illustrissimum Dominum Comitem Ludovicum Erdödy, Suae Majestatis Sacratissimae actualement Intimum Consiliarium, Camerarium et Colonellum, et Illustrissimum Dominum Comitem Alexandrum Pathachich de Zajezda, Suae Majestatis Sacratissimae Aulico-Hungaricae Consiliarium et Comitatus Simegiensis Supremum Comitem (qui Patriae Linguae et consuetudinum gnari, ex ratione etiam possessionis comodius residere valerent) Regnorum horum realem Banum clementissime denominare et constituere dignetur.